



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

44. An dubius, si quis sit illegitimus, debeat censeri irregularis? Et alij
quatuor casus in corpore huius Resolutionis circa illegitimitatem
explanantur ad incurrendam, vel non incurrendam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

edad muy mal se puede hechar de ver, si el niño era de un mes, que nacen algunos tan grandes como son otros de un mes. Sic ille. Idem etiam cum Vasquez in 3. part. tom. 3. disp. 146. c. 4. n. 26. dicendum puto, si puer expositus esset inter infideles, etiam si haberet chartam appositam testamenti de Baptismo, nam in tali casu puto esse baptizandum sub conditione. Item puto cum Petro Ochagavia de sacram. tract. unico de ref. sacram. baptismi. questione 11. num. 8. si pueri inveniantur in memore, de quibus dubitaretur quibus essent parentibus nati an fidelibus, vel infidelibus deberent enim sub conditione baptizari, ut salutis æterne amittendæ periculum vitaretur.

4. Non retineam etiam hic apponere dubium, de quo olim interrogatus fui an peccaret mortaliter, si quis non baptizatum baptizaret sub conditione, tunc multi affirmativè responderunt, sed ego negativam sententiam docui, & adduxi Ludovicum de San Juan in summa de sacram. baptismi questione 1. artic. 8. dub. 2. conclus. 2. ubi sic ait: [Peccato venial es baptizari conditionalmente al que consta no estar bautizado porque bautizar con condicion en caso cierto es acto inutil, y contra el uso de la Iglesia que solo pone condicion en caso dudoso, y digo que es venial, por que la materia de la injuria es leve.] Sic ille, & Villalobos ubi supra n. 2.

RESOL. XLIII.

An expositi dicantur irregulares? Ex part. 4. tract. 2. Refol. 58.

Hanc questionem ego tractavi in 2. part. tract. 15. resolut. 22. & pro parte affirmativa multos Doctores adduxi, quibus nunc addo Hurtado in disp. 2. de irregul. diff. 14. n. 57.

2. Sed ibi ego negativam sententiam tenui, & nunc etiam teneo, & præter DD. quos ibi pro hac sententia citavi, novissimè illam tenet, me citato, 10. Dominicus Tassonus in pragmat. de antisato vers. 13. observ. 1. n. 78. Squillante de privileg. Cleric. cap. 4. dub. 2. n. 39. Mercerus in 3. part. D. Thome de Sacram. quest. 24. dub. 12. queritur 2. Malderus in 1. 2. D. Thome quest. 19. art. 5. disp. 87. in fine. Præpositus in 3. part. quest. 5. de irregul. dub. 16. num. 127. Salasin 1. 2. tract. 8. disp. unico. f. 24. n. 246. Pelantius in addit. ad 3. part. quest. 20. disp. 5. & Turrianus de censur. lib. 9. disp. 1. dub. 1. asserit de jure novo hanc sententiam tenendam esse: nam Gregor. XIV. Bulla quadam edita an. 91. in gratiam confraternitatis pro expositis decernit, ut habeantur pro legitimis, quod etiam testatur Petrus Cornejo in 3. part. D. Thome tract. 5. de irregul. disp. 15. dub. 1. n. 4. Coninch in disp. 18. dub. 12. n. 105. Peyrinus tom. 2. de Relig. Prel. quest. 2. cap. 5. §. 9. num. 136. Henriquez lib. 13. c. 8. n. 10. in gloss. lit. L. & Avila de cens. part. 7. disp. 3. dub. 9. Vnde sine ullo metu irregularitatis puto supradictos expositos posse sacros Ordines suscipere, & ratio est, quia expositi nullo jure decernuntur illegitimi, & quod aliquis exponatur, non est sufficiens signum quod sit extra matrimonium susceptus, cum parentes ob pauperatē prolem suam interdum exponant; ergo, &c.

RESOL. XLIV.

An dubius, si quis sit illegitimus, debeat censeri irregularis?
Et alii quatuor casus in corpore hujus Resolutionis circa illegitimitatem explanantur ad incurrendam, vel non incurrendam irregularitatem. Ex p. 4. tract. 2. Ref. 59.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam teneat Vasquez, Covar. & Toletus, quos citat. & sequitur Hurtado disp. 2. de irregul. diff. 17. n. 56. ne se exponat periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis, quod autem dicitur neminem in dubio esse condemnandum, tantum est verum de pura condemnatione, seu poena, non verò de condemnatione, seu poena, quæ est prohibitio, ob rationem dictam. Hæc Hurtado, cui adde Reginaldum tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 7. num. 78. & Turrianum de censur. lib. 9. disp. 71. dub. 1.

2. Verum ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tueretur Petrus Cornejo in 3. part. D. Thome tract. 5. de irregul. disp. 15. dub. 1. q. 2. Coninch, disp. 18. dub. 12. n. 102. & Avila de censur. part. 7. dub. 10. juncta disp. 2. dub. 5. concl. 2. quia, ut supra ostensum est, in aliis casibus præter homicidium si utrinque sit æquale dubium facti, & pro utraque parte adint rationes æquæ probabiles, non tenetur se reputare irregularem, sed poterit adherere alteri parti, sc. quod non sit irregularis, nisi in casibus à jure & extra casum homicidii non exprimitur in jure quod in dubio sit aliquis irregularis. Ergo, &c.

3. Notandum est tamen hic primò ex communi sententia DD. quod si mater conjugata dicat filio etiam in fine vitæ, vel si dicat cum juramento eum esse illegitimum, is non tenetur credere nisi circumstantiæ valde urgent, & rationibus convincatur: ut si uterque parens id affirmat. Vide Bonacinam de cens. disp. 7. q. 2. punct. 3. n. 5. & Mercerus de Sacram. in 3. part. D. Thome q. 24. dub. 12. queritur 2. ubi etiam docet neminem debere se reputare illegitimum propter aliquem rumorem & infamiam, quia hæc non inducunt sufficientem probationem, & prævalet possessio bonæ fidei cum iusto titulo matrimonii.

4. Nota secundò non esse illegitimum filium quando tempore quidem conceptionis intercedebat impedimentum dirimens, tamen eo sublato tempore ejus natiuitatis parentes validè poterant contrahere, ut quando, v. g. quis carnaliter cognovit suam consanguineam quam impetrata dispensatione in uxorem accipit antequam proles nascatur. Ita Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 7. num. 19. & Sayrus de censur. lib. 6. c. 10. num. 19. licet contrariam docuerit Præpositus in 3. part. quest. 5. de irregul. dub. 16. n. 126.

5. Nota tertio celebrem doctrinam adductam à Reginaldo tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 7. num. 72. ubi sic ait, Adverte probabile esse illegitimum qui sine dispensatione ad aliquem Ordinem promotus est antequam ipsius parentes matrimonio inter se conjungerentur posse post initum tale matrimonium, per quod factus est legitimus, Ordinem susceptum exercere, & ad altiores ascendere. Namque per illam suspensionem Ordinis non incurrit in novam irregularitatem, sed tantum suspensionem ab executione suscepti, atque illa, cui subiciebatur ex defectu natalium, purgata est per sequens matrimonium, per quod verè factus est legitimus; quia igitur nulla ei superest irregularitas, nulla opus habet dispensatione. Cessat pariter suspensio secuta ex illa ordinatione, nam cessat effectus, cessante ipsius causa. Idèoque sicut ordinatus ante ætatem hoc ipso, quod ætas debita advenit, potest sine dispensatione exercere susceptos Ordines; ita & is qui adhuc illegitimus ordinatus est, potest prædicto modo factus legitimus in susceptis Ordinibus ministrare. Hæc omnia Reginaldus, & alii.

6. Nota quartò quod filii censentur legitimi, quando matrimonium contractum inter duos invalide fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed unus eorum bona fide contraxit in facie Ecclesiæ. Ita Bonacina de cens. disp. 7. q. 2. punct. 3. num. 3. licet Suarez & alii penes ipsum hoc verum esse asserant, dum uterque

contra

contrahentium bona fide contraxit. Sed nostra sententia est probabilissima, quam tenet etiam Hurtado *disp. 2. de irregul. difficult. 14. num. 56. Peyrinus tom. 2. de relig. Pralat. quest. 2. cap. 5. §. 9. n. 106. Coninch. disp. 18. dub. 12. num. 103. Secus autem si clam contraxissent, aut uterque parens impedimentum scivisset.*

RESOL. XLV.

An filius natus ex Patre Catholico, qui postea in hæresim incidit, & in ea mortuus est, vel etiam si pariter in brachio seculari traditus est, an inquam, in his casibus filius incurrat irregularitatem, saltem ex infamia? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 45.

Sup. hoc in §. 1. A. Firmat Avila *part. 7. disputat. 4. dub. 7. Turrianus de cens. lib. 9. disput. 62. dub. 2. & alii. Negat Hurtado disput. 2. de irregul. difficult. 3. num. 8. Villalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 16. n. 9. & alii.*

2. Sed licet utramque sententiam existimem probabilem esse, tamen adverte amice Lector, quod sententia negativa parum refert in nostris partibus, nam licet supradicti non incurrant irregularitatem infamiam in cap. *statutum* contra filios hæreticorum, incurrere tamen facile possunt irregularitatem ortam ex infamia. Igitur sententia negativa deserviet pro locis hæresi valde infectis ubi hanc irregularitatem ex infamia filii hæreticorum non incurrerent, ut observat Tannerus in 3. *part. disp. 6. quest. 10. dub. 10. numero 201. secus autem, ut dictum est, in nostris; & ita advertit Præpositus in 3. part. quest. 5. de irregul. dub. 7. numero 2. & Coninch. de Sacrament. disputat. 18. dub. 7. num. 51. in fine, quod est valde notandum: quia multi in hoc possunt se decipere ex autoritate DD. asserentium supradictos non incurrere irregularitatem, qui tamen nihil asserunt de irregularitate ex infamia, sed loquuntur tantum, ut dictum est, de irregularitate lata contra filios hæreticorum.*

RESOL. XLVI.

An filii hæreticorum, qui combusti sunt, sed signa contritionis dederunt, sint, hoc non obstante, irregulares?

Et supponitur filios, & nepotes hæreticorum, & eos, qui hæreticis fuerunt, vel eos receperunt irregulares esse, & inhabiles ad beneficia, & officia publica, si per viam virilem descendant, si vero via fœminea filios, non nepotes?

Et an saltem incurrant aliam irregularitatem, nempe ex infamia?

Et notatur, quod non sunt inhabiles descendentes prædictorum morientium absque emendatione, si nati fuerint ex eis, quando erant Catholici, & non fautores, nec receptores.

Et dato, quod hæretici irregulares sint, an satis probabiliter dici possit hanc irregularitatem non extendi ad hæreticos externè negantes fidem, non autem internè?

Et an suspecti de hæresi hanc irregularitatem incurrant?

Et quid de Schismaticis?

Et quis in hac irregularitate possit dispensare? Ex p. 10. ss. 12. & Misc. 1. Ref. 23.

§. 1. Suppono, filios, & nepotes hæreticorum, & Probatum est, irregulares esse, si per viam virilem descendant; si vero via fœminea, filios, non nepotes; ut docet etiam ex communi sententia Navarrus *cap. 27. num. 205. Simancas, de Catholic. Institut. tit. 9. numero 14. & leges Suarez, de Censur. disput. 43. sect. 3. num. 1. Ducuntur ex. cap. statutum de hæreticis in 6. ubi ii filii excluduntur ab officio, & beneficio, & nomine officii officium Ordinis intelligunt. Sed nomine officii publici, non officium Ordinis, sed jurisdictionis temporalis intelligit Glossa ibi cui alii Doctores adherent. Quapropter Toletus *lib. 1. summ. cap. 25. numero 8. Sylvius lib. 6. Theauri, cap. 10. num. 40. censent hos filios irregularitatem non subijci, quia nullibi adversus illos statuta est: quod etiam docet Hurtadus, ubi infra num. 9.**

2. Verum; stando in communi sententia, ad casum propositum in titulo Resolutionis affirmative respondent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in *Summa, tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 22. & seqq.* quia licet converti præsumunt in hæresi decedere, & sic converti timore potius, ne vivi comburantur, quam fidei amore; ideoque nec juridicè admittuntur ad penitentiam, nec solemner absolvuntur: quæ solemnis & juridica absolutio videtur requisita, ut ab Ecclesia judicentur decedere ipsi reconciliati, & reincorporati. Hæc sententia est satis probabilis.

3. Sed non minus probabilem contrariam esse patet, quam tunc Lellius in 3. *par. cap. 5. de irregul. dub. 1. n. 38. Coninch de Sacram. disp. 18. dub. 7. n. 51. & Gaspar Hurtadus, disp. 2. de irregul. difficult. 3. n. 8. ubi sic ait: Dicuntur inhabiles ad beneficia, & ad officia publica Receptores hæreticorum, & eorum fautores in his, quæ pertinent ad hæresim, & descendentes Hæreticorum, & Receptorum, & Fautorum usque ad secundam generationem inclusive, ut dicitur in cap. 2. de Hæreticis in 6. Hæc tamen inhabilitas limitatur quod ad descendentes ex prædictis per lineam fœmineam ad primum tantum gradum, & etiam limitatur quoad descendentes in prædictis probatis fuisse tales, & non reconciliatis Ecclesie ante mortem, aut non emendatis: ita ut si isti non fuerint juridicè probati hæretici; aut si fuerint, mortui tamen sunt Catholici, aut emendati: eorum descendentes non fiant inhabiles ad prædicta. Quod est verum, quamvis prædicti moriantur relaxati brachio seculari; quia textus absolute loquitur, & absolute excipit descendentes reconciliatos, ita ille.*

4. Dicendum est itaque cap. *statutum* hanc irregularitatem Filiis hæreticorum indicens, exigere, ut in hæresi decedant parentes à delicto non emendati, neque Ecclesie reincorporati; quod de iis parentibus non videtur verificari posse; cum de facto ab hæresi absolvantur, decedantque parati penitentiam adimplere, & Ecclesie præceptis obedire. Neque obest, quod solemner eis non præstetur absolutio; satis enim videtur esse, quod de facto concedatur. Hac enim absolute, quantumvis privata, Ecclesie reconciliantur, & reincorporantur. Neque Textus reconciliationem, & reincorporationem solemnem exigit: & cum sumus in materia odiosa, & pœnali, non est restrictio facienda. Verum, licet hæc omnia satis probabiliter dicta sint; tamen filii prædictorum hæreticorum aliam irregularitatem incurrere videntur, nempe ex infamia. Et ideo Præpositus in 3. *par. tract. 5. de irregul. dub. 7. num. 45. sic ait: Pontifex declarat hanc irregularitatem non contrahi ab iis quorum parentes ante mortem sunt reconciliati Ecclesie, & Catholice mortui sunt: quod etiam videtur verum, licet parentes sint damnati*